

18

# DISSERTATIO

Super finibus Diæcesis Romanæ, & super facultate eligendi Metropolitam

# FRANCISCI DE VICO

Episcopi Elusini

Et Iudicis Querelarum, & controuersiarum

In Concilio Romæ habito

In Ecclesia Lateranensi.



DISSERTATIO

de rebus divinis et humanis  
in quibusdam scripturis  
biblicis

FRANCISCI


DE VIGO

Episcopi Bistunensis

in Universitate Studii Bistunensis

in Collegio S. Martini

publice defendit



Amstelredami, in Officina Typographica, 1714.

**M**otivum præbuit huic Dissertationi vox evulgata, quod Dioecesis Romana vltra centesimum ab Urbe lapidem non extenderetur; verùm quia ista Finium restrictio nullo Jure suffulta est, sed potius historicae notioni Provinciæ Romanæ, repugnare videtur; operæ pretium duxi, sensum meum pro veritate in hoc puncto aperire.

### PRIMUM DUBIUM.

*Expenditur, An Provincia Romana, in qua Summus Pontifex est Metropolita, restricta sit intra centesimum ab Urbe lapidem, seu potius ultra extendatur.*

Majestatem decet Romani Pontificis, ut sicuti, divino Oraculo, constitutus est Caput, & Princeps super omnem Terram, ita pluribus supra omnes præcellat, & decoretur prærogativis, & in Regimine Militantis Ecclesiæ Dignitatibus; In Hierarchia itaque Ecclesiastica triplicem principaliter repræsentat Personam, triplicemque obtinet dignitatem, ut advertit *Alexandri in Historia Eccles. seculo 4. dissert. 20. propositi. prima S. Probatur secunda Pars, & Carolus à S. Paulo Geograph. Sac. Italiæ lib. 2. num. 6; Prima est Summi Pontificis, qua omnium Catholicorum consensu definitum est: Esse unicum Caput, & Principem cum omnimoda, & suprema Spirituali Potestate divinitus sibi attributâ super omnem Terrarum Orbem ex illis Iesu Christi verbis ad Petrum = Quodcunque ligaveris super Terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcunque solveris, erit solutum.*

*Secunda, quam repræsentat, Persona est, uti Patriarca; & uti talis, præcis nascentis Ecclesiæ temporibus, latissimos habebat fines, dum sub ejus Patriarchatu continebatur tota Europa, quinimò totus Occidens, ut relatis D. Ignatio Martyre, qui fuit secundus Antiochiæ Patriarcha, D. Hieronymo, & D. Augustino, pluribusque aliis Authoribus etiam Græcis advertit Leo Allatius de Eccles. Occidental. & Oriental. perpet. consens. lib. primo cap. 10. num. primo, ubi hæc ait = Sed quisnam fuerit hic Occidens, fuscè nobis Donopatrias, non indiligens Author, expressit; possidebat itaque Romanus, Europam universam, ad confinia usque Mazzorum, & Gallorum, Hispaniæ, Franciæ, & Myrici, usque ad Gandira, & Columnas Herculeas, & notat Pagi ad Annales Baron. ad ann. 37. fol. 31. S. Ex Nilo, Carolus à S. Paulo Geograph. Sac. Patriarchat. Roman. lib. primo num. 8. & 9., ubi à num. 9. ad 14. singulas Provincias Patriarchatus describit, Marcus Antonius Cappellus de Region. suburbic. disput. poster. cap. 5. S. Progressu temporis, & optimè Card. Peronius in Replicatione ad Responson. Jacobi I. Regis Angliæ pag. 325., ubi refert plura Concilia Pro-*

vincialia à Romano Pontifice convocata, tanquam Patriarcha Occidentis, nempe sub Damaso I. in Urbe contra Hæresim Macædonum, sub Cælestino I. contra Nestorianos, sub Agathone contra Monotelitas, omittis alijs, & *Natal. Alexand. Histor. Eccles. sæcul. 4. dissertat. 20. proposit. prima* S. Convocabant etiam.

3 Tertia denique Persona representata à Papa, est, uti Episcopus, & Metropolita Urbis Romæ, & quia nti talis, semper habuit, & etiam hodiè retinet suam specialem Provinciam, & Diocesim, ob temporum vicissitudines pluriès variatam, hinc per Cronologiam temporis in hac Dissertatione demonstrabitur, quod Provincia, seu Diœcesis Papæ, uti Urbis Metropolitanæ, ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad hæc tempora, nunquam restricta fuerit ad centesimum ab Urbe lapidem, sed ampliores habuerit fines, & hodiè etiam habeat.

4 Et sanè in primis sex Ecclesiæ Sæculis, certum est apud Historiæ Ecclesiasticæ Professores, quod autoritas Metropolitana Papæ, uti Episcopi Urbis, complectebatur *Tusciam, cum Umbria, Campaniam, Picenum Annonarium, & Suburbicarium, Valerianam, Samnium, Apuliam cum Calabria, Brutiam cum Lucania, & Corsicam*, ut notant *Natalis Alexandri Histor. Eccles. tom. 4. sæcul. 4. dissert. 20. proposit. 2. S. Probatum consequens, Carolus à S. Paulo Geograph. Sac. Italiæ lib. 2. num. 7.*

5 A Sæculo VI. ad XI. coarctari, seu minui capit hæc Provincia, quia à Summis Pontificibus pro tempore plures in eâ erectæ fuerunt Metropoles, pluresque electi Metropolitanæ, quibus assignati fuere Suffraganei, & à Metropolita Romano juncti, ita ut Status Romanæ Diœcesis in Sæculo XI., & signanter anno 1057. erat, prout ex antiquo Codice Vaticano Sacrorum Rituum describitur à *Cardin. Baronio in Annal. ad annum 1057. fol. 237. litt. B.* per hæc verba = *Insuper præter septem Collaterales Episcopus, erant alii Episcopi, qui dicuntur Suffraganei Romani Pontificis, nulli alii Primati, vel Archiepiscopo subiecti, qui frequentè ad Synodos vocarentur; In Campania = Tyburinus, Anagninus, Signinus, Ferentinus, Alatrinus, Verulanus, Soranus, Fundanus, Cajetanus, Tarracinus = In Maris sunt hi = Furconensis, Marsicanus, Valvensis, Theatinus, Pennensis, Aprutinus = In Tuscia sunt hi = Nepesinus, Sutrinus, Civitensis, Hortianus, Balneoregiensis, Urbevetanus, Viterbiensis, Caltrensis, Suanensis, Clusinus, Perusinus, Cassellanus, Aricinus, Grossetanus, Volaterranus, Senensis, Lucanus, Pistoriensis, Florentinus, Fesulanus, Lunensis = In Umbria, & Marchia = Spoletum, Assisium, Fulginas, Nucerinus, Eugubinus, Reatinus, Tudertinus, Amerinus, Narniensis, Interamniensis, Esculanus, Firmanus, Camerinus, Auximanus, Humanus, Anconitanus, Æsinus, Senagal-*

*gallienfis, Fanenfis, Pifaurenfis, Forofempronienfis, Callienfis, Urbinas, Ariminenfis, Ferentinus; hæc de Ecclefia Romanæ hujus temporis ftatu = Et refert etiam præfatus Natalis loco fuprà citato §. Refpondeo, nego confequens.*

6 Conftantaneè ad hunc ftatum in Sæculo XII. fan. mem. Innocentius III. indicavit fines Romanæ fpecialis Diœcefis, non per ambitum centum milliarium, fed generalitèr intèr Capuanam Provinciam, & Pifanam per hæc verba = *Præfertim cum ipfe moratur in fua Provincia fpeciali, videlicèt intèr Capuanam Provinciam, & Pifanam*, ut legitur in cap. *Sua nobis de Officio Vicarii, ubi Gloff. in figuratone cafus.*

7 Verùm quia, etiàm poft hoc Sæculum ufque ad hæc nofta tempora, aliæ intèr Capuanam, & Pifanam erectæ fuerunt Metropoles, nempe Florentina, Senenfis, Urbinatenfis, & Firmanæ à Martino V., Pio II., Paulo III., & Sixto V. refpectivè, hifce exceptis, ac Suffraganeis eifdem assignatis, remanfit eadem Diœcefis Romana intrà eandem circumferentiam utriufque Provinciæ, Capuanæ, & Pifanæ, tam intrà, quàm ultrà centefimum ab Urbe Lapidem, prout antèa erat, ut patet ex ipfa Indictione hodierni Concilii Romani, & Convocatione Epifcoporum fub die 24. Decembris 1724. de mandato Sanctiffimi Domini Noftri fequuta fub hifce verbis = *Volumus igitur, ac mandamus, ut Epifcopi omnes in fpeciali nofta Provincia conftituti, videlicèt intèr Capuanam, & Pifanam in hanc Urbem conveniant.* Et advertit etiam *Carolus à S. Paulo Geograph. Sacræ Italiæ lib. 2. num. 9.*

8 Et fanè quotiès non conftat de effectiva, & reali feparatione alicujus Diœcefis, feu Territorii à jure Metropolitanico Romano, & viceverfa probata eft confiftentia ultrà centum milliaria in Apulia, & Calabria, in parte Picæni, & Lucania, & Corfica, & fucceffivis temporibus in pluribus Civitatibus ex illis relatis à Cardinali Baronio fuprà §. 5., tunc præfumi non poteft difmembratio, feu feparatio, aut fejunctio à Provincia Romana, fed probanda eft confludentèr, quia fine autoritate Summi Pontificis, feparatio Territorii, & divifio Diœcefum, fieri non poteft, ut probat *Abbas in cap. Cum contingat de for. compet., Gratian. difceptat. 212. num. 17., Card. de Luca de Jurifdict. difc. 1. num. 11., ubi quod hæc opinio apud Catholicos pro indubitata habetur, & Rot. decif. 912. num. 1. coram Buratt.*

9 Hac igitur ratione motus Summus Pontifex Pius II. in actu, quo erexit Civitatem Senarum in Metropolim, licèt finè ulla controverfia fita effet ultrà centefimum ab Urbe Lapidem, expreffè declaravit, quod illa cum Ecclefiis Suffraganeis eidem assignatis, fejungebat à Provincia Romana, in qua erat conftituta, ut legitur in Bulla Erektionis, quæ inter ejus impreffas eft *la 3. §. 2. Bullar.*

lar. nov. tom. 1. ibi = Ecclesiam præfatam; quæ de Provincia Romana esse dignoscitur, à Jure Metropolitico, & Romana Provinciæ hujusmodi, omninò segregamus, & eximimus; Et Innoc. III. de Ecclesia Ulterana, seu Volaterrana, sita ultra centesimum ab Urbe Lapidem, tanquam in sua speciali Provincia constituta, judicavit in Cap. Sua nobis de off. Vicarii, ubi Glossa.

10 Hinc erronea, & falsa est, opinio eorum, qui crediderunt, Diæcesim Papæ, uti Metropolitæ, & Episcopi Romani, non extendi ultrà centesimum ab Urbe Lapidem circum circa, ad instar Præfecti Urbi, qui juxta Leges Civiles ultrà centum milliarum, nullam exercere poterat Jurisdictionem, quæ opinio originem habuit à Rufino, quem sequuti sunt Jacobus Gottofredus Hæreticus in Libro impresso de anno 1618. Genevæ sub nomine Francofurti sub titulo = *De Suburbic. Region.*, & *Eccles. seu de Præfecti.*, & *Episc. Urb. Romæ Diæces.*, & Claudius Salmasius pariter Hæreticus.

11 Contrà Rufinum fat est referre verba Divi Hieronymi in Apologia secunda, ubi de ipso ita loquitur = *Ipsū docere, quod nesciat, scribere, quod ignoret, ipsum tam puidè, & confusè loqui, ut plus in reprehendendo laboraret Hieronymus, quàm Ipse in scribendo Rufinus* = & adversus dd. eius Sequaces circa comparationem Ecclesiæ, & Diæcesis Romanæ cum Præfectura Urbis ejusque prætena restrictione ad centesimum ab Urbe Lapidem, solidissimè, & ex professo scripsit *Leo Allat. de Eccles. Occident.*, & *Orient. perpet. consens. lib. 1. cap. 2. §. 4.*, cujus verba hæc sunt = *Nil est hic Præfecturæ Urbicæ, & Patriarchæ Romano commune: Alius, Patriarcham Romanum: Alius, Præfecturam instituit: quod si Præfecturæ terminis Patriarcham Romanum circumcludere tibi in animo est, quare Nobis Præfecturam decurtatam, & mutilam, qualis erat post Constantini tempora, & non eam integram, ac suis Partibus absolutam, ut tunc erat, cum Patriarchatus Romanus instituebatur, assumis? Est post Constantinum, & posteriores Aevi Imperatores, Præfectura Urbis intra centesimum ab Urbe Roma milliarium contineretur, quid tunc? Ante banc ipsam Præfecturam Patriarcha Romanus per totum Occidentem suis potius Juribus, Jurisdictionem exercebat, nulla ad Præfectum ipsam habita ratione, à quo ditio ipsa Ecclesiastica suæ ditionis fines, nisi nequissimo jure accipere non debuit.*

12 Hieronymus Aleander Jun. dissert. 1. cap. 2., reprobando Gottofredum, & Salmasium sic ait = *Sed, & si ea fuisset, quam tu autumaris, & cavillaris, Præfecti Urbi Jurisdictio, & potestas, haud tamèn dicendus esset Romanus Pontifex ad ejus sese administrationem, ulla ratione conformasse; quia, ut ait Card. Baron. in anno 325. num. 132. Summi Pontifices eorum Jurisdictionem, & potestatem, non ab Imperatoribus, neque ab ipsis acumenicis Synodis, sed à Christo dumtaxat per Petrum obtinuerunt.*

- 13 Emanuel à Schelestrat. *antiquit. Illustrat. part. 1. dissert. 2. cap. 1. num. 62.*, ubi ità loquitur = *Neque enim existimo, Rusini etate, Regionibus illis suburbicariis ad 100. usque Lapidem fuisse circumscriptos; Vetat namque notitia illa Vaticano vetus, quæ extat apud Baronium ad annum 1057. quæ 69. Episcopatus, ex quibus Romana Provincia constata erat, Nobis exhibet, qui quidem non solius Latinam Regionem, seu Campaniam recentiore ad sinuessam, Marfos, seu Valeriam, Picenum, & Tusciam suburbicariam, complectebantur, sed etiam Tusciam Annonariam, Vinbriam, & Picenum Annonarium comprehendit =*
- 14 Marcus Antonius Cappellus de Regionib. suburbic. *disput. Poster. cap. 5. per tot.*
- 15 Iacobus Gutheris in *specula de Eccles. suburbicariis*
- 16 Iacobus Sirmundus de Societ. Iesu de Region. suburbic. *cap. 1. & censur. vindiciar. cap. 4.*
- 17 Ioannes Darty *miscellan. lib. 3. cap. 3.*
- 18 Cardinalis Peronius in *replicat. contra Iacobum I. Angliæ Regem pag. 223.* ubi contra Rufinum mirabiliter loquitur.
- 19 Spondan. in *adnot. ad compend. Annal. Baron. ann. 325. n. 36.*
- 20 Natalis Alexander in *Histor. Eccles. tom. 4. sæculo 4. dissert. 20. propositi. 2. §. Paulò aliter, & seq.*
- 31 Et quamvis nonnulli etiam Legales incidentèr firmauerint, quod Territorium Urbis protrahatur usque ad centum millaria circumcirca, inter quos Bald. in *l. 1. §. Initio ante num. 1. ff. de offic. Præf. Urb.*
- 22 Cardinalis Tusc. *conclus. 516. n. 11.*
- 23 Fenzon. ad *Stat. Urb. cap. 197. num. 95. & seq.*
- 24 Cardinalis de Luca de *Præminent. disc. 1. num. 6.*
- 25 Nihilominus præfati tres primi loquuntur simpliciter de Territorio temporali, seu potiùs de antiquo districtu Urbis Romæ, quod postea ex Statuto Urbis moderatum & restrictum fuit ad quadraginta millaria, nulla penitus facta mentione de Territorio, & Iurisdictione Spirituali, ac de Diæcesi Papa, uti Episcopi & Metropolitæ Urbis, proindeque eorum autoritas extendi nequaquam congruit præsentì Inspectioni, ubi agitur de Territorio Spirituali, quia de uno ad aliud nulla fieri valet illatio, juxta Epistolam 18. Innoc. I. ad Alexandr. Antiochen. *cap. 2. ibi = nam quæd sciscitaris, utrum divisis, Imperiali Iudicio, Provinciis, ut duo Metropoles fiant, sic duo Episcopi Metropolitanì debeant nominari; non ergo visum est, ad mobilitatem necessitatum mundanarum, Dei Ecclesiam commutari, honoresque, ac Divisiones perpeti, & relata Epistola 6. Gelasij Papæ ad Dardan. aduertit. Ioannes Darty Miscellan. lib. 3. cap. 3. ibi = Alia est potestas secularis, alia Ecclesiasticarum distributio Dignitatum = Et meliùs distinguendo notat prædictus Natalis Alex. loco supra citato §. In eundem fermè sensum.*

26 Ita etiam expressè disponitur à Jure Canonico, scilicet à Territorio spirituali ad temporale non valere argumentum juxta *Text. in Cap. 1. de Religios. Domibus Glos. in Cap. 1. in versic. divisio 10. dist. Hostiens. in Cap. Super eo num. 3. de Paroch. Card. de Luca de Jurisdic. disc. 1. num. 17.*, & *Rot. decis. 324. num. 10. par. 1. recent.*

27 Cardinalis verò de Luca, licet inadvertentèr loquatur de Territorio Papæ, vti Episcopi Urbis, non meretur attendi; vel quia fuit lapsus ejus calami, vel quia intelligi debet juxta auctoritates, quas allegat, nempe *Textum in L. 1. S. Initio ff. de offic. Præfect. Urbis; Baldum, Toscum, & Fenzonium*, in quibus se fundat, qui, vt supra notatum fuit, loquuntur de Territorio, seu Districtu Urbis temporali, non autem spirituali, inter quæ nulla datur similitudo, seu comparatio, vt advertit ipsemet *De Luca in eodem disc. 1. de præem. num. 6.* per hæc verba = *Unde propterea intrat receptissima propositio, quod à finibus temporalibus non inferatur ad Spirituales, & è contra; & declarat idem De Luca de Regal. disc. 94. num. 3.*

## SECUNDUM DUBIUM.

*An Episcopi existentes inter utramque Provinciam Capuanam, & Pisanam, quibus à S. Sede non fuit datus Metropolitanus debeant alium sibi eligere præter Papam.*

28 Resolutio hujus Dubij videtur obvia, & facilis, quia Episcopi existentes inter utramque Provinciam sunt suffraganei Papæ, & recognoscunt Papam in Metropolitanam, & idèo non tenentur, nec possunt sine expresso consensu Papæ alium Metropolitanum eligere, & quoad istos Episcopos, non habere locum *Concil. Trident. Cap. 2. Sess. 24. de Reformat. decisum refert.*, à *Sac. Congregatione Concilij. Fagnan. in Cap. Et si membra, de his, que sunt à Prælat. sine consens. Capitul. num. 36.*, & *Card. de Luca de Præem. disc. 1. num. 9.* Quippè Suffraganeus non potest, etiam si vellet, à proprio Metropolitanò se eximere, quia eius subjectio principalitèr respicit favorem Metropolitanì, cui sine ejus consensu præjudicari non potest, neque tacitè, neque expressè, ad *Text. in Cap. Cum tempore de arbitr., & ibi Abbas num. 2. Lotter. de re Benef. lib. 1. qu. 24. num. 239. Kocchier. de Jurisdic. Ordin. in exemp. par. 2. quæst. 7. num. 2.*, & *3. Barbosa de offic., & potest. Episcop. par. 3. allegat. 123. à num. 40. usque ad 43.*, & *Rota dec. 1604. num. 11.*, & *num. 21.*, & *seq. coram Coccin.* Aliàs enim Metropolitanus posset remanere sine suffraganeis, quod non est permittendum, quia eius interest, Jurisdictionem propriam factam rectam servare, & permultos habere subditos ad *Text. in Clem. Pastoralis de re judic. Chockier. de Jurisdic. Ordin. par. 1. qu. 1. num. 17.*

Et ita &c. salvo semper &c.